



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 91. Cardinalis Commendonus hujus actionis æquitatem Cæsari  
persuadere a Papa jussus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. XC.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1569

*Cæsar novæ huic inaugurationi sese opponens, ac reclamans.*

Cum Maximilianus Imperator ejusmodi favorem Principi, qui tamen Imperii jurisdictioni erat obnoxius, a Papa impendi haud posse contenderet, nec non sibi soli hosce titulos, honoresque distribuendi jus competere arbitraretur, hinc suis Oratoribus rescripsit præcipiens, ut Scriptotenus reclamarent, additisque minis contra hanc Pontificis agendi rationem sese opponerent: verum illi ad plenum Purpuratorum confesum non admittebantur, sed eis duntaxat Cameræ Apostolicæ Advocatus declarabat, quod eorum repugnantia non admitteretur: nihilominus Cæsar prærogativam Cosinæ concessam penitus irritam declaravit:

Thu. l. 46.  
Gabut. vita  
Pii V. l. 3.  
c. 16.

§. XCI.

*Cardinalis Commendonus hujus actionis æquitatem Cæsari persuadere a Papa jussus.*

Ex hac dissensione cum forte funesta prorsus mala timerentur, hinc Papa Commendono tum in Germania agenti negotium dabat, ut rem componere fatageret: itaque accepto hoc mandato Commendonus cum Cæsare frequen-

Gratian. vi-  
ta Commend.  
l. c.  
Thu. l. 46.



Sæcul. XVI. tuis conferebat, ac tranquille ejusdem  
 A.C. 1569. querelas, & planctus excipiebat.

## §. XCII.

*Commendoni oratio ad Cæsaris querelas.*

Præprimis Commendonus Cæsarem rogabat, ut huic controversiæ hand vehementius insistere, sed potius præsentem rerum statum in imperio, lucæ familiæ conditionem, necnon propriam fortem ponderare velit: postea hæc subiunxit: „si de querelis agitur, uter eorum, Cæsar, vel Pontifex æquiores querendi causam habeat, dubius hæreo: equidem Papa Magni Ducis nomine tribuit Cosmæ Medicæo maximo meriti Viro, qui non modo tibi sanguine junctus est, sed tu ipsemet eum affinitate tua honorare voluisti, dum Sororem tuam ei in uxorem concesseris: nunc vero hoc ei nomen aufere moliris, tuisque Oratoribus Romæ negotium dedisti, ut Pontifici hæc prærogativam concedendi jus non competere propugnarent: verum contendit Cosmas, se omnino liberum, ac neutiquam alterius jurisdictioni esse obnoxium, cum Florentina ejus urbs ingenti pecuniarum summa ab Imperii jurisdictione fuerit redempta: in cuius rei testimonium Rudolphi Cæsaris, qui